

2001-10-04 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Postquam Dominus’

IOANNES PAULUS PP .II

**EPISTULA DATA
FRANCISCO S.R.E. CARDINALI ARINZE,
PRAEFECTO CONGREGATIONIS
DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM**

*Venerabili Fratri Nostro
FRANCISCO S.R.E. CARDINALI ARINZE
Praefecto Congregationis de Cultu Divino
et Disciplina Sacramentorum*

Postquam Dominus Iesus quinque panibus et duobus piscibus quinque milia esurientium hominum mirabiliter satiavit, dixit Capharnai iis qui quaerebant eum: "Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; panis autem, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita" (*Io 6,51*). Revera ex hoc divino Pane, pura mente accepto, omnem trahimus spiritalem vitam et robur. Merito enim asserit S. Bonaventura: "Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia, et quid erit in mundo nisi error et infidelitas.... Sed per hoc stat Ecclesia, roboratur fides, viget christiana religio et divinus cultus" (*De praeparatione ad Missam*, I, 3).

Laeto autem animo recenter percepimus sacros Nigeriae Praesules, simul cum universo populo, ad novam fovendam evangelizationem in tertio christianae aetatis millennio proximo mense Novembri III Congressum Eucharisticum Nationalem celebraturos esse, proponendo sibi praecipue meditandam sententiam: *Iesus Christus, Panis fractus pro vita mundi*.

Placet quoque Nobis omnino mens, ut huiusmodi Congressum praecedat Primus Nationalis Congressus Pastoralis Conferentiae Catholicorum Episcoporum Nigeriae, qui in urbe Ibadanensi de Ecclesia in Nigeria veluti Familia Dei in missione cogitabunt. Ita quasi Pastorum enixum conatum statim sequi debere totius Ecclesiae illius nobilis Nationis studiosa Eucharistici mysterii adoratio et contemplatio videntur.

Cum vero dicta Episcoporum Conferentia, per suum Praesidem Venerabilem Fratrem Ioannem Olorunfemi Onaiyekan, Archiepiscopum Abugensem, postulavit ut illuc eminentem Praesulem mitteremus ad personam Nostram tuendam, libenter ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, quem dilectissimi Nigeriae populi praeclarum aestimamus Filium quique primos viginti annos episcopalis tui ministerii gregi fovisti Onitshano, nunc autem diu prudenterque totius Ecclesiae bonum tueris, Sanctae Sedi auxilium praestans.

Quam ob rem, magna permoti fiducia et caritate, te Missum Extraordinarium constituimus ad memoratum III Congressum Eucharisticum Nationis Nigerianae diebus XV-XVII mensis Novembris celebrandum. Quo uberiores usque spiritales fructus apud cunctum populum gignere possit, Nos legationem tuam precibus comitabimur; tu vero verba et desideria Nostra ibi transmittenda curabis et universos christifideles ad dignum et constantem Eucharistiae cultum sollicito animo cohortaberis.

Benedictionem demum Apostolicam, supernae gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem, volumus nomine Nostro omnibus Congressus Eucharistici celebrationes participantibus peramanter largiaris.

Ex Aedibus Vaticanis, die IV mensis Octobris, anno MMII, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.

IOANNES PAULUS PP. II